



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*INTER SACRAS* * SANCTUARIUM DIOECESANUM

SANCTAE RESTITUTAE, QUOD IN VICO

«LACCO AMENO» INTRA FINES ECCLESIAE ET INSULAE ISCLANAE EXSTAT,

AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR. Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes

Ecclesiae et Insulae Isclanae merito celebratur sanctuarium dioecesanum Deo in honorem Virginis et Martyris Restitutae

antiquitus dicatum et in vico «Lacco Ameno» situm, ubi a saeculo V pie servantur reliquiae memoratae sanctae et ad

quod fideles Isclani frequentes accedunt petitori auxilium atque intercessionem eiusdem caelitis Patronae suae. Constat

insuper hoc templum, de quo peculiarem habuerunt curam Romani Pontifices Decessores Nostri Silvester I, Gregorius

Magnus, Leo III et Caelestinus V plurimique praesules loci, notum esse centrum operum pro spirituali vita ac progressu

sociali civium ibidem commorantium. Quibus de rebus, cum Venerabilis Frater Philippus Strofaldi, Episcopus Isclanus,

litteris die II mensis Februarii hoc anno datis, cleri populi que sui quoque expromens vota, postulaverit ut templum idem

titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum cupientes praebere, enixis

precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu

Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum

Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, quod diximus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque

evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt,

iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX

editum, servanda sunt. Quod faustum ac felix sit cunctis sanctae Restitutae devotis atque artius exstet vinculum

Ecclesiae Isclanae cum hac Apostolica beati Petri Sede. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus,

contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis*

Martii anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio. De mandato Summi Pontificis

ANGELUS card.

SODANO

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 9, pp. 588-589 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana
